BIBLIOTHECA UNIV. JAGELL. CRACOVIENSIS
379855
Mag. St. Dr.
III
1401

V
B J
C
379855
III

Cracovien. Exemptionis
QUOAD
Curam Animarum.

1 **Rev. Pater.** Solidissimis monimentis constabilitum est *in contemporanea Responsione*, Ordinem nostrum SS. Sepulchri in Regnis Poloniæ, Bohemiæ, & alibi non quidem suppressum, sed sospitem esse, ideoque Apostolica Exemptionis Privilegia eidem Ordini benigne indulta non fuisse umquam abrogata, sed in sua existere validiori firmitate, tum quia Innocentiana Suppressio non habuit essectum quoad dictum nostrum Ordinem, tum quia idem Ordo amplissimam obtinuit confirmationem Privilegiorum suæ Exemptionis à Successoribus Pontificibus *Julio II.*, *Leone X.*, & *Innocentio XI.*. Restat ergo, ut hoc peculiari Dubio videamus, num Monasterium *Miechoviense* subesse hodie primum debeat omnimodæ Episcopi Cracoviensis Jurisdictioni, seù potius ab eadem potestate sit immune renunciandum. Porrò si demantur æquivoca, vaniloquia, & spectra, nil est in verboso *contrario Restrictu*, quod jam præoccupatum non fuerit *in nostra Ailegatione*, qnodque ulteriori dignum videatur responsione.

2 Equidem si nequit impugnari, quod existat, vigeatque incolumis in Regnis Poloniæ Ordo Canonicorum Regularium SS. Sepulchri jamdiù redactus in Congregationem, suisque vivens legibus, & Constitutionibus per Generales Præpositos de Miechovia sancitis, & à S. Sede approbatis, suopte ingenio sequitnr, ut Canonici Regulares ejusdem Ordinis, ac Instituti subesse debeant uni Capiti, & Generali, qui illorum habeat Curam, atque gubernium. Hoc autem posito, quis non dixerit, prærogativam Capitis Ordinis, & nomen Generalis deberi Monasterio Miechoviensi, & Præposito ibidem residenti? Unus porro Instigator Curiæ Cracoviensis contendit, quod nomen Capitis, & Generalis Ordinis permissum tantummodo fuerit recentioribus hisce temporibus ex voluntate Principum, & gratia Summorum Pontificum, *non quod revera Præpositus Miechovien. in verum Caput Ordinis fuerit umquam habitus, & consideratus*, ut ex *contrario Restrictu* §. 11.

3 Ast fingi ne possunt deteriora ad desperatæ defensionis auxiium? Ecquid enim? An dissimulari possunt Apostolicæ Bullæ, quibus omnes Domus in Polonia existentes appellatæ sunt *MEMBRA DEPENDENTIA ab Ecclesia*, & *Monasterio*

Miechoviensi veluti à suo Capite? *Summario num.*5. 9. & 11. *ubique litt.A.* An dissimulabimus antiquissimas Constitutiones pro feliciori Ordinis regimine præscriptas à Præposito Miechoviensi *sub Anno* 1586., quibus ille non de per se, & voluntate sua, sed, universo assentiente Capitulo, Præpositus GENERALIS fuit renunciatus, & tali prærogativa recognitus à Sixto Papa V.? An dissimulabimus alias similes Constitutiones editas per alterum Præpositum de anno 1625., quibus æque à Generali Capitulo fuit illi tributa summa totius Otdinis potestas, & imperium, quibusque identidem accessit S. Sedis cofirmatio, ut ex *Summario num.*13. 14., & 15. *litt.A.*? Num diffugiet à mente nostra id, quod antiquioribus etiam ævis, *Annis* scilicet 1549., 1624., & 1677. professi unanimiter fuere tum apud Capitulum Archiepiscopalis Ecclesiæ Gnesnen., tum & maxime apud S. Sedem tres spectatissimi Reges Poloniæ, nempe = *Canonicos S. Sepulchri NON ALIUM, QUAM PRÆPOSITUM DE MIECHOVIA SUPERIOREM AGNOSCERE* = rursus = *Eum SUMMA CUM POTESTATE PRÆSIDEM ESSE, Summorum Pontificum Authoritate constitutum, sparsos per Regnum nostrum, ac vicinos Hungariæ, Boemiæ, & Silesiæ Societates, & Conventus ad suum Jus pertinere* = demum = *FUISSE SEMPER DICTI ORDINIS GENERALEM, tot publicis id testantibus monimentis &c.* = *Summ. num.*26. 27., & 28.?

4 An item impune transibit id, quod in sua Constitutione de Voto S. R. E. Cardinalium edita statuit *Innocentius Papa XI.*, quodque legimus *in Summario num.*12.? ibi = *Cum autem dictus GENERALIS PRÆPOSITUS &c. speret, nonnulla Loca &c. à proprio Corpore &c. incuria Commendatariorum &c. separata &c. SUO CAPITI reversura &c.* = Ecquid insuper censendum de tantis, iisque seriis, & disertissimis Agnitionibus, quas non modo in Actis Institutionum emiserunt omnes Poloniæ Episcopi, ut *in Summario num.*33., sed præsertim in relationibus Status suæ Diœcesis transmissis ad Sac. Congregationem Concilii edidit & ipse Prædecessor Episcopus Cracoviæ, *ut in Summario numer.*36. ibi = *Canonici quoque Regulares Sancti Sepulchri* HABENT CAPITALEM CONVENTUM IN MIECHOVIA CUM PRÆPOSITO TOTIUS ORDINIS GENERALI = Quid amplius de eo, quod per modum regulæ Sacrosancta lege fuit stabilitum *in Concordatis* Poloniæ cum Sancta Sede, quodque acceptum habuit *Joannes Lipski* tunc *Episcopus Cracoviæ*, nimirum = QUOD IN MIECHOVIENSI PRÆPOSITURA ESSE DEBEAT PRÆPOSITUS GENERALIS = Quid præterea de Electionibus Capituli Generalis, & respectivis Confirmationibus eorumdem Præpositorum Miechoviensium à Sancta Sede reportatis, per quas iisdem Præpositis uti Gene-

ne-

neralibus, & Capitibus à Capitulo selectis omnimoda totius Ordinis Cura, regimen, & Jurisdictio legitur impartita, *Summario num.* 23. 24., & 25.; Quid denique de vetustissimis Historicorum traditionibus, deque tot judicialibus agnitionibus factis in Sac. Congregatione Rituum, in Sac. Congregatione Concilii, in Particulari Cardinalium Congregatione, tandemque in hoc ipso S. Auditorio?

5 E' præmissorum conspectu erit ne quisquam, qui dicat, Præpositum de Miechovia non fuisse umquam in verum Caput Ordinis habitum, & consideratum? Porrò si tanta, eaque ineluctabilia Factorum monimenta non cursim, & fugitivè, sed serio, & proportionatè, quasi totidem Res judicatæ, cum uniformi perseverantia constituunt Conventum de Miechovia CAPITALEM esse, ejusque Præpositum SUPERIOREM, SUMMA CUM POTESTATE PRÆSIDEM, TOTIUSQUE ORDINIS GENERALEM; aut oportet hac vice pessumdare perspicuam rei veritatem, clademque immanem facere tum Apostolicarum Constitutionum, tum Testimonialium Regum, tum Confessionum Episcoporum, tum Concordatorum Sanctæ Sedis, tum Bullarum Confirmationum, totque aliorum firmissimorum jurium, aut prone debet concludi, quod idem Conventus de Miechovia tamquam Capitalis, ibique residens Præpositus Generalis Ordinis etiam quoad respicientia Curam Animarum jus habeant Exemptionis ab Ordinarii Cracovien. Jurisdictione tum attenta *Conciliari dispositione*, tum attenta *Benedictina Constitutione*, prout latè probat, & firmat *Allegatio nostra*.

6 Ad evertenda autem hæc potissima, quorum vim & ipsi sentiunt contrarii Scribentes, inutili conatu obtruditur, quod Monasterium de Miechovia dici nequeat Caput Ordinis, eo quia Membra illius per factam Suppressionem in auras abjerint. Ecquid enimNobis, si in Italia, in Sicilia, in Galliis, & alibi verificata fuerit Innocentiana Suppressio? An contendimus Nos dilatare fimbrias nostras ad ea etiam Cœnobia, quæ manebant extra spheram Regni Poloniæ, modoque amplius non existunt! Porro sat est, quod Ordo noster in Regnis Poloniæ manserit; quod modo sit in Congregationem redactus; quodque suis vivat æquis, & a Sancta Sede probatis Constitutionibus, ac Regulares omnium Conventuum dicti Ordinis sistentium in tota Polonia, Silesia, Boemia, & Hungaria Præpositum Conventus Miechovien. recognoscant *Caput*, & *Generalem*; Semper enim ritè dici potest, prout meritò semper fueit recognitum, quod Monasterium Miechovien. sit *Caput*, ejusque Præpositus sit *Generalis* totius Ordinis, qui viget sospes in Regnis Poloniæ; Alias quippè sequeretur absurdum, quod supra notavimus, idest Canonicos Regulares in Regnis Poloniæ sistentes non habere Ca-

 put,

put, & Superiorem, à quo gubernentur, & Ordinis Constitutiones à S. Sede approbatæ exerceantur.

7 Nil ergo curandum, nilque detrimenti irrogat Generalitiæ prærogativæ nostri Ordinis, si Cænobia nulla in aliis Christiani Orbis Partibus fuerint per Suppressionem extincta; Deteriorque est replicatio, quod Monasterium Miechovien. ideò dicendum non sit Caput Ordinis, quia concessum fuerit in Commendam; Procederet enim forte insistentia, hæc si ageretur de Monasterio, quod regeretur jure singulari, independenter scilicet ab aliis, adeout non efformaret Universitatem, seù Congregationem cum aliis ejusdem Ordinis Conventibus, nec in eo Conventu Capitali adesset Prælatus, seu Præpositus Generalis, cui cæteri omnes ipsius Ordinis Conventus immediatè subsunt, & obediunt. Et hoc in sensu loquitur objecta Conciliaris dispositio in *sess.25. de Regular. cap.* 21.; Jubet enim, Monasteria, quæ sunt Capita Ordinum, non posse commendari, immò datæ Commendæ ipso jure censeantur vacare, NISI SIT ILLI *Monasterio* DE REGULARI SUCCESSORE PROVISUM = Itemque hoc in sensu differit *Fagnanus in Cap. de Priore numer.* 16. = ibi = *Primus casus non dubius est, Regularibus Monasteriorum Episcopis subjectorum, prout sunt plures Abbatiæ, & Monasteria in Germania, Belgio, & Polonia IN CONGREGATIONEM NON REDACTA, quæ nulla potiuntur prærogativa Exemptionis* = Jam igitur ubi agimus nos de Ordine, qui redactus est in Congregationem se protendentem tum ad universa Poloniæ Regna, tum ad vicinos Boemiæ, & Hungariæ Locos, ac pro recto totius Ordinis regimine provisum Locis illis est de Regulari Præposito, qui in Capitali Conventu Miechoviæ, ubi suam habet ordinariam Sedem, Constitutiones edit, Præpositos locales approbat, alios removet, alios corrigit, dimissoriales concedit litteras pro suscipiendis Ordinibus à quovis Antistite, Conventuales domus, & Ecclesias visitat vel per se, vel per Commissarios, omniaque regit, disponit, gubernatque, hac plane in diversissima hypothesi nisi quis mentis suæ fuerit hebes, dixerit, Concessiones in Commendam Monasterii Miechovien. aliquid irrogasse præjudicii Prærogativæ, & effectui Generalatus. Nam nostro in casu ex Commenda non aliud sequitur, nisi aliquod detrimentum circa ammissionem, vel diminutionem majorum redditus, ut bene distinguit, probatque *nostra Allegatio* §.14.

8 Quid quod? Si recurrente ad S. Sedem Anno 1719. Generali Præposito Miechovien., *ut ejus Monasterii, QUOD EST CAPUT SUI ORDINIS, juribus consulatur*, S. Episcoporum, & Regularium Congregatio definivit = *NULLAM Commendatario dandam esse Jurisdictionem in Canonicos Ordinis*

nis *S. Sepulchri*; eisdemque Canonicis = *Competere privative jus eligendi SUPERIOREM REGULAREM GENERALEM*; Id quod oraculo suo firmius voluit confirmare Summus Pontifex, *ut ex Summario num.*45., & 46., his plane in terminis quisque intelligit, per Concessiones in Commendam numquam læsam, minusque alteratam fuisse Jurisdictionem Generalatus; & nomen Capitis Ordinis, quod immo specialissimo S. Sedis Oraculo sarctum, tectumque conservatum fuisse, latius demonstrat *nostra Allegatio* §.15.

9 Exceptionum suarum debilitatem noscentes Adversarii, debiliori studio refricant, supponuntque majorem Episcopi Cracoviensis jurisdictionem; Objectum sane principium petit. Ubi enim est, & quo modo probatur figurata ista Episcopi jurisdictio, quæ vincat illam Generalis nostri Præpositi? Sed statuant primo Judices Sapientissimi, nullum è contra afferri actum Visitationis exercitum in Ecclesiam, & Monasterium Miechoviense, immo contrarium uberrime docere allata plura Testimonia nostra, de quibus *in Sum. n.*41.42., & 43. Si autem Conventus, & Ecclesia Miechovien., quæ etiam Curam Animarum habet adnexam, numquam fuerunt ab Ordinario visitata, nonne hoc ipsum collimat in evidentem comprobationem, quod d. Conventus fuerit ab Ordinariis recognitus *Caput Ordinis*. Frustraque ii, qui contra scribunt, interpraetari satagunt unum Testem quoad Visitationem tentatam à Rmo Kuniki, cum certi reddamur ex univoco dicto nostrorum Testium, qui præsentes fuerunt = *Quod Rmus Kuniki visis, & auditis Privilegiis* respondit = *se nolle umquam præjudicare iisdem, atque ideo non venisse animo exercendæ Jurisdictionis*, = quibus equidem omnimoda est adhibenda fides, eo quia se conformant cum Dicto alterius ex Testibus è contra inductis, qui ingenue fatetur = *Audivi, quod Kuniki tantum pernoctavit ibidem, non TAMEN ECCLESIAM MIECHOVIENSEM VISITAVIT* = uti fusius expendit *nostra Allegatio* §§.16., & *seqq.*

10 Risuque digna sunt, quæ blaterat *contrarius Restrictus* circa animum, & intentionem dicti Visitatoris. Cum enim intentioni videamus omnino repugnare Factum, utique Factum ipsum, cui acquievit Kuniki, semperque acquieverunt Cracovienses Episcopi, persuadet hodie, ita rem se habuisse, quia vere cognitum fuerit, Conventum Miechovien. esse Caput Ordinis; Nec in subsidium quærendi sunt alii Actus: Quale enim sit illis reddendum Judicium, solide probat *noster Restrictus super Exemptione in genere*, & *contemporanea Responsio*. Aliqui nempe referibiles ad Jurisdictionem delegatam, & gesti vetustioribus ævis: alii procedentes ab incuria Præpositorum plerumque Sæcularium, & à malitia Officialium Curiæ Cracoviensis; Multi voluntarii, informes, & æqui-

voci.

voci; Omnes insuper protestati, contradicti, & elisi per solemnem illam, & à Synodo receptam Protestationem *Anni* 1620.; Omnes præterea = *gesti contra clarissimas Apostolicas Constitutiones, quæ suapte natura inficiunt quamcumque contrariam possessionem* = ut dixit *Rot. in Ratisbonen. Jurisdictionis* 15. *Junii* 1764. §. 7. *coram Eminentissimo Zelada*. Omnes demum quasi spectra dilabentes è conspectu majorum, & solidiorum Actuum à Præpositis nostris exercitorum, qui omnino prævalere debent, uti conformes Apostolicis Privilegiis Exemptionem concludentibus, ut ait *Rot. in Constantien. Jurisdictionis* 13. *Aprilis* 1714. §. *final. coram Scotto*;

11 Imbecilliusque regeruntur Actus approbationis Confessariorum, & Dispensationum Matrimonialium. Spectare enim hæc videntur ad Ordinarium Loci, ita tamen ut apta non sint dare illi majorem Jurisdictionem, minusque suffocare Jus, quod ex Conciliari Sanctione, & Constitutione Benedictina habet Monasterium Caput Ordinis; Nullam enim sapit implicantiam, ut Monasterium sit Caput Ordinis, itidemque Præpositus ibidem residens sit Generalis, utque is ratione excipiendi Confessiones, & dandi Dispensationes Populo, qui est subjectus Episcopo, recurrat ad eum pro opportnna assequenda licentia.

12 Cætera *vel* jam satis refutata sunt in nostro Restrictu, & contemporanea Allegatione, vel inanitate sua de per se corruentia, ulteriori, uti supra diximus, non indigent Responsione.

Quare &c.

Dominicus Franci.

R. P. D.

A Z E D O

Cracovien. Exemptionis

Quoad Curam Animarum.

P R O

R̃mo D. Matthæo Buydecki Præposito Generali Canonicorum Regularium Ordinis SS. Sepulchri.

C O N T R A

R. D. Promothorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Cracovien.

Gg

Responsio

21

Typis Lazzarini 1777.

P. P. DOM KSIĄŻKI
— ANTYKWARIAT —
008290

Biblioteka Jagiellońska
stdr0022383